Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

membra corporis iam ex principio ad iniuriam creatoris sui ulciscendam contenderunt, quia illi non per creatorem subiecta esse non debuerunt. Quia vero vita humana nullatenus subsistere posset, si in membris corporis sui nullam speciem rationalis potestatis haberet, vindictam suam deus in parte per iustitiam exercuit, et in parte misericordia temperavit, quatenus non simul et culpa plecteretur et natura foveretur. Ut ergo inobedientia manifesta fieret, unum in corpore humano membrum potestati animae subtractum est, per quod posteritas in carne seminanda fuit, ut omnes qui per illud generantur tunc se filios inobedientiae esse intelligant, et ex sua origine quales et ex qualibus generantur agnoscant. Quia ergo in hoc membro per quod humana propagatio transire debuit, signum inobedientiae positum est, cunctis per illud transeuntibus manifeste ostenditur quoniam cum culpa inobedientiae generantur. Cui videlicet in ipso titulo quod portat inscriptum est per quod transeunt agnoscunt unde veniunt et quo vadunt. Constat hoc ergo cetera membra corporis quae ipsius rationi serviunt sine culpa operari posse. Hoc vero membrum in quo concupiscentia principaliter regnat, quia nutum voluntati non sequitur, sine culpa non operatur. In tantum enim hoc membrum corporis ipsius animae non sequitur, ut sicut aliquando non movetur quando vult, sic saepe et quando non vult moveatur. Ex hinc ergo carnale commercium ab homine exerceri non debuit, ex quo illud sine tempore concupiscentiae et carnis libidine exerceri non potuit. Ipse enim sibi est ex hoc illud illicitum fecit, ex quo se talem fecit qui illud licite implere non posset. Sed quia carnis humanae infirmitas semper ad omnem concupiscentiam effluerit, si non parte aliqua licite exciperetur, concessum est postea ad remedium, quod prius ad officium fuerat institutum, ut quod per indulgentiam pro maiori malo evitando agitur, ipsum quod inest ei malum infirmitatis per pudicitiam coniugalem excusetur. Et de prima quaestione coniugii hic in praesenti loco dicta sufficere possunt. Incipit nona pars. Quatuor esse

consideranda in institutione sacramentorum. 1.

Tractare volentibus de sacramentis quatuor primum consideranda occurrunt. Primum videlicet quid sit sacramentum. Secundo quare instituta sint sacramenta. Tertio quid sit unicuique sacramenti materia in qua efficitur et sanctificatur. Quarto quot sint genera sacramentorum. Hic est diffinitio, causa, materia, divisio. Haec enim quatuor si diligenti prosecutione discussa fuerint, intelligentiam facere poterunt de his quae proposita sunt. Primum ergo primo tractandum suscipimus.

Quid sit. Quid sit sacramentum. Primus. II.

Sacramentum breviter doctores descriptione signaverunt. Sacramentum est sacrae rei signum. Quemadmodum enim in homine duo sunt, corpus et anima, et in una scriptura duo similiter, littera et sensus, sic in omni sacramento aliud est quod visibiliter foris tractatur et cernitur, aliud est quod invisibiliter intus creditur et percipitur. Quod foris est visibile et materiale sacramentum est. Quod intus invisibile et spirituale, res sive virtus sacramenti. Semper tamen sacramentum quod foris tractatur et sanctificatur signum est spiritualis gratiae, quae res sacramenti est et invisibiliter percipitur. Sed quia non omne signum sacrae rei sacramentum eiusdem convenienter dici potest, quoniam et litterae sacrorum